

tres; neque solum (*a*) Reges, (*b*) sed etiam qui regnum ipsum incredibili, at maxime pia liberalitate patriae donaverint.

Tam clari vero parentes, cum nihil antiquius haberent, quam ut filium domesticis, hoc est sanctissimis praeceptis imbuerent, haud difficulter puerum, ad omnia summa natum, quique sive felicitate quadam, sive naturae bonitate rectam sponte viam ingrediebatur, ad suam consuetudinem, mox remque deduxerunt. Ubi per aetatem licuit, praceptorum ille natus haud vulgarem, *Bernardinum* (*c*) *Parthenium*, qui non latinas modo sed graecas etiam literas egregie doceret, puerilibus in studiis non se pueriliter gerebat: immo vero usque adeo supra aequales adolescentes se se extulit, ut jam inde apud omnes magnam sui, nec illam sane dubiam, expectationem concitaret. (*d*) Erat enim celeri captu, expedita ratione, tenacique memoria ad prodigium stupendus, & elucebat ubique ingenium per acre, quodque caput est, gravitate quadam temperatum, & ad omne literarum genus bene, feliciterque natum; ut magister verba dumtaxat in promptu haberet, non verbera, magisque testis, & admirator, quam doctor existeret.

(*e*) Jam vero puram, & emendatam latini sermonis elegantiam imbibebat,

ab Urbano VIII. anno 1623. & ab Innocentio XII. anno 1698. **GEORGIUM, JOANNIS DUCIS FRATRENI**, qui patavinam ecclesiam summa cum laude moderatur.

(*a*) neque solum reges) *Catharina Cornelia, Jacobi II. Cypriorum regis uxor fuit, parentes vero Jacobi III. cui etiam immatura morte praerepto ex mariti testamento successit.*

(*b*) Sed etiam qui regnum ... patriae donaverint.) Eadem Cypri regnum libere Venetae Reipublicae largita est. Legendum hac de re *Petrus Bembus Histor. Ven.* editionis nostrae pag. 17.

(*c*) praceptorum ille natus haud vulgarem, *Bernardinum Parthenium*) Cum *Parthenius* erudiendis ac probandis iis, qui cancellariae muneribus fungi debent, praefectus esset, *Cancellariae magistrum* vocamus, *Joanni-Baptistae Rasario* suffectus est, ut graecas literas Venetiis publice traderet. Constat ex Senatus consulto VI. kal. no vemb. 1573. edito, exscriptumque habeo ex *Regesto III virum rei literariae*, pag. 257. Natus erat Spilimbergi, pago haud ignobili in Foro julio. Edidit *Commentarios in Horatii Flacci carmina atque Eudos. Ven. apud Dom. Nicolimum 1584.* in. 4. item de *Imitatione poetica libros quinque*, primum italice *Ven. ap. Gab. Jo. colitum 1560.* in 4. deinde latine *Ven. ap. Lud. Avancium, 1565.* in 4. Verum auctor *Vitae Fr. Pauli Veneti, ex ordine Servorum*, sub narrationis sua initium memorat, *Maurocenum*, una cum aliis pluribus ex Veneta nobilitate pueris, grammaticae ac rhetoricae rudimenta accepisse ab Ambroso Morello, ejusdem Pauli avunculo. At *Lollinus in Mauroeni vita*, quam huic statim subjiciemus, narrat eum in literis graecis *Parthenio* doctore usum esse, latinis vero *Baldo-Antonio Penna*.

(*d*) Erat enim celeri captu, &c.) Qua ingenii vi polleret *Andreas*, quod dederit primorum studiorum specimen, narrat *Aurelius Palazzolus, Panegyrico in funere Andreae Mauroceni*, edito *Ven. typ. Andr. Mschii, 1620.* in 4. „Quae vero traderet praceptor illius, ac moderator, ita excipiebat, ut non excipere, sed exprimere videretur, quae dudum impressa, & insculpta laterent in animo. Quotidie sumebat aliquid, quod legeret, seponeret, stylo traheret, &c. „

(*e*) Jam vero puram & emendatam latini sermonis elegantiam imbibebat, &c.) Postquam humanioribus literis, quantum satis puer fuerat, operam dederat, ad philosophiam, adhuc in patria degens, se totum contulit. Testatur *Palazzolus* laudato *Panegyrico*. „Cum musarum, poetarum, historicorum saltus peragrasset, & quasi accurata apis, atque sollicita collegisset, quidquid dulce videretur, ac suave ex illorum floribus delibandum, tandem in PHILOSOPHORUM penetralibus consedit & abdidit se. „Narrat porro idem auctor, quantum in rebus philosophicis proficerit, cuius rei argumento fuisse memorat theses publice cum summa laude apud frequentissimam illustrum virorum coronam propugnat. Id vero clarius etiam inde colligitur, quod anno 1586. XI. kal. jun. cum ad Senatum de publico philosophiae doctore legendo relatum esset, quod munus a prima harum scholarum institutione patriciis hominibus semper delatum est, *Andreae Mauroceni* ratione habitam, cum magna ejus laude, inveni,